

servandæ. Ignarissimus, aut impudentissimus sit oportet, qui hanc ipsam semper fuisse Ecclesiæ mentem aut turpiter ignoret, aut procaciter neget. VII. Per baptismum credit Ecclesia, omnia peccata dimitti, & ipsam etiam pœnam sive temporalem sive æternam. Quis vero nesciat, hanc semper fuisse fidem, & sententiam Catholicorum? *Baptismatis munus*, inquit *S. Augustinus Enchir. 64. Baptismatis munus contra originale peccatum donatum est, ut quod generatione attractum est, regeneratione detrahatur, & tamen activa quoque peccata, quæcumque corde, ore, opere commissa invenerit, tollit.* Idem tradit *S. Ambrosius Prefatione in Psalm. 118. & S. Cyprianus ep. ad Jubajanum Ec. VIII.* Tandem credit, & docet Ecclesia, ut observat *S. Thomas, laudatus §. IV. in necessitate non solum Diaconum, sed quemcumque alium virum, aut mulierem Christianam, aut Judæum, Catholicum, aut Hæreticum posse baptizare.* Id negat *Calvinus*, at immerito; hæc enim fuit fides Ecclesiæ Catholicæ ab incunabulis Christianæ Religionis. Sed de hac re postea. Ex dictis igitur aperte evincimus, Catholicam Ecclesiam semper credidisse, & docuisse quidquid de Baptismi Sacramento ad credendum proponit Concilium Florentinum, & Synodus Tridentina.

S C H O L I O N.

Displicuit morosis, ac fastidiosis Novatoribus Exorcismi usus, illumque Ecclesiæ Romanæ magicum, ac præstigiosum commentum appellant. Stultissime tamen; nam *S. Augustinus ep. 194. ad Xistum Præbyterum*, Exorcismorum usum in Baptismo antiquum vocat Ecclesiæ ritum. *Circumstipantur enim (Pelagiani) & Divinarum auctoritate lectionum, & antiquitus tradito, ac retento firmo Ecclesiæ ritu in Baptismate parvulorum, ubi expertissime demonstrantur infantes, & cum exorcizantur, & cum ei se per eos, a quibus gestantur, renuntiare respondent, a diaboli dominatione liberari.* Dicere igitur, Exorcismi usum esse præstigiosum inventum Ecclesiæ Romanæ, idem est ac inscitiam prodere, aut impudentiam declarare.